



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. V. Institutio puerorum iam adultiorum, & quibus in rebus illa versetur,
& de moribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Industria
doctos pue-
ros efficere
potest.

Cauendum
ne oderint
vtilia par-
uuli.

Regium est
sapientia
rudimentis
præfidere.

Frigus plan-
tas, segetes,
atque adeo
infantes fir-
mat.

Moderato
frigori af-
fuescant, ni-
mio stupidi
redduntur.

Labor pue-
ritia incre-
mentum
impedit.

Eiulatus
puerorum
eorum est
exercitium.

qua futura est templum Dei, nihil aliud discat audire, nihil lo-
qui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non in-
telligat: cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua psalmis
dulcibus imbuatur. Procul sit ætas lasciuia puerorum: Ipsa puel-
la, & pedisequa à secularibus consortiis arceantur; ne quod
male didicerint, prius doceant. Fiant ei litteræ, vel buxæ, vel e-
burnæ, & suis nominibus appellentur, ludat in eis, vt & Iulus
ipse eruditio sit, & non solum ordinem teneat literarum, vt
memoria nominum in canticum transeat, sed & ipse inter
se crebro ordo turbetur, & mediis vltima, primis media misce-
antur; vt eas non sono tantum, sed & visu nouerit. Cum vero
cæperit, trementi manu stylum in cera ducere, vel alterius su-
perposita manu tenere, regantur articuli, vel in tabula sculpan-
tur elementa; vt per eosdem sulcos inclusa marginibus trahan-
tur vestigia, vt foras non queant euagari. Syllabas iungant ad
premium, & quibus illa ætas deliniri potest, munusculis inui-
tetur. Habeat & in discendo socias, quibus inuideat, quarum
laudibus mordeatur. Non obiurganda est, si tardior sit, sed
laudibus excitandum est ingenium, vt & vicisse gaudeat, &
victa doleat. Cauendum imprimis ne oderit studia, ne amaritu-
do eorum, præcepta in infantia vltra rudes annos transeat. Ipsa
nomina per qua consuecit paulatim verba contexere, non sint
fortuita, sed certa & coæruata de industria, Prophetarum
videlicet, & Apostolorum, & omnis ab Adam Patriarcharum
series, de Matthæo, Lucaque descendat, vt dum aliud agit, fu-
tura memoria præparetur.

§. 6. Præfideat his exercitationibus filiorum pa-
terfamilias, etiam rex, & princeps, multo que glorio-
riorem functionem arbitretur, quam fuerit olim a-
gonothetarum in Græcorum spectaculis, vel Romanorum,
Illic morum excidia, & mortes, hic virtutum
initamenta peraguntur.

§. 7. Finiam vbi nonnulla de corporis cura, præ-
cepta dederò. Instrumentis regere ea consueuerunt,
ne distorqueantur, ita Aristoteles lib. 7. cap. 17. Polit.

Monet & aliud, quod nullo modo in vtu est, reuo-
cari tamen possit. Συμμετρίαν δὲ ἐν τοῖς, & αὐτὴ τὰ φύσιν
αὐτοῦ, & ἐν τῇ φύσιν αὐτοῦ. Conducat statim à puero eos ad
frigora assuefacere. Hoc enim & ad sanitatem, & ad bel-
licas res vtilissimum est, itaque barbari hoc faciunt,
& sane fieri potest, ob calorem natium facile pueri
frigus pati possunt. Celta natos ad flumina durabāt,
Idem Gothi suis Olaus magnus tribuit. Thraces
quoque ad frigoris tolerantiam suos erudierunt: Si-
don. carn. 2.

Excipit hic natos glacies, & matris ab aluo
Artus infantum molles nix ciuica durat.

Britanni veteres, vt Cæsar habet lib. 5. de bello Galli-
co, inter pericula celerissime se in paludes abdebant,
frigoris tolerantissimi.

Monet & hoc prudenter; Illis annis nec labori,
nec disciplinæ admouendos, ne incrementum impe-
diant. Lulus id consecuturos constar, sed ipsa ludicræ
exercitationes futurorum negotiorum debent esse
quædam imitationes. Neque vero lacrymas, & com-
plorationes inhibere conuenit: exercitii enim loco
sunt, venas, arteriasque dilatant, & roborant, & vt
docet Aristoteles iuuant incrementum: sunt enim
γυμνασία τοῖς σώματι, exercitia corporibus. Neque alia
causa est, cur in primis annis, rusticorum proles
forticula sit, diuitum imbecillior, quam quod exer-
citio naturali hæc destituatur, illa abunde fruatur,
negociosis matribus ad alia versis, ploratumque &
eiulatum negligentibus.

C A P V T V.

Institutio puerorum iam adultiorum, & qui-
bus in rebus illa versetur, & de
moribus.

§. 1. A quinquennio ad septennium earum artium, Biennio
quas amplexaturi sunt, Aristoteles vult eos
esse spectatores. Quod sic accipies, vt tamen tenerio-
ris ætatis exercitia retineant, & cura aliqua affician-
tur, erga illa quæ seria sunt. Quæ vero discenda sunt,
partim ad animum pertinent, partim ad externas res.
Ad animum pertinet studium virtutum, artiumque li-
beralium, ad externa, omnium artium, quas Παύ-
σαι appellant, exercitationes. Harum omnium mu-
nia Reipublicæ necessaria sunt, atque de hisce agen-
dum mihi hoc loco est.

§. 2. Quod ad pietatis, virtutumque studia attinet
de eo multis libro secundo, & primo actum est, est e-
nim hoc maximum, & proprium hominis bonum: Virtuti-
omnesque tam honorata seruitute ingenuæ, &
liberales efficiuntur. Ea enim vis virtutis est, vt ser-
uitutem faciat regnum; postquam Deo seruire,
regnare est. Intuere PAVLVM Apostolum, vas
electum, regum, & orbis doctorem, à tertio cælo de-
scendentem, & de pellibus tabernacula confuentem,
vt sine sumptu ponat Euangelium, vt alimenta
ministrent manus istæ, ne Ecclesias grauaret, ne daret
occasionem maledicis, quasi non populorum salu-
tem, sed opes suas quereretur.

Sed de pietate, & virtute ante dictum est; hoc præ-
cipue cura habeat respicere, vt cultus Dei vigeat,
olim id difficile fuit, cum auratum fulgeret capito-
lium, & ex omni templo, oracula dæmones funde-
rent. Nunc inuidans ad Ecclesias populus, & in pie-
tatem effulse vires, omnibus pietatem suadent, &
quodam modo extorquent. Pudeat principem, in
medio Christiani orbis, aut exiguum, aut nullam du-
cere rationem pietatis, cum per Indias trophæa cru-
cis erecta legit, barbaræ gentes, humanæ carnis vifce-
ratores, posita feritate martyria patiuntur, & cælo
inferuntur, veniunt ab oriente Cambaiani, Iaponii,
Chinenses, à Meridie Æthiopes, ab occidente Brasi-
lii, Mexicanii, Floridiani, & sedent cum Christo in
regno Dei, filii autem regni, quorum auita est posses-
sio religionis, eiiciuntur in tenebras exteriores. Mat-
thæi 8.

§. 3. Causa tanti mali est, teneræ ætatis, neglecta
institutio. Arbores teneras & prima frondium ger-
mina, pruina adurit, facile adolescentia corrumpitur,
si doctrina sacra non erigitur. A teneris sanctissimam
fidem, morefque doceatur infans. Oret ad mensam
patris tenellus infans, & trimula virguncula laborio-
sa verba symboli balbutiat, filiorum semisfontibus
verbis, iungatur integer parentum affectus. Tabulis
illis puris, nulla immunditie fordidatis, de spiritali
lauacro candentibus, inscribantur dulcia diuinitatis
eloquia.

Agnoscant patrem suum in cælis, discant vitam
hanc mortalem esse, viam in cælestem, intelligant
se regni æterni candidatos. Horreant magis vitia,
quam spectra, & dæmonas, nec ignorent, se quo-
tidie de vita dimicare. Exponit ista idem quem citavi
Hieronymus Ep. 7. Discat statim, quam habeat & alte-
ram auiam, quam amitam; cui Imperatori, cui exercitui ti-
runcula nutriatur, illas desideret, ad illas tibi mitteretur abces-
sum. Ipse habitus, & vestitus doceat eam: cui promissa sit. Cæue
ne aures eius perfores: ne cerussa, & purpurisso consecrata Chri-
sto ora depingas: nec collum auro, & margaritis premas: nec
caput gemmis oneres: nec capillum irruses, & ei aliquid de
gehennæ ignibus aufpiceris, habeat alias margaritas, quibus po-
stlea venditis, emptura est preciosissimum margaritum. Prætexta
ta, nobilissima quondam semina, iubente viro Hymettio, qui
patruus Eustochii Virginis fuit, habitum eius cultumque, mutauit,
& neglectum crimem mundano more texuit sibi, vincere cu-
piens

Pietas inter
bona exem-
pla facili.

Pietatis
magna pars
ad barbaros
migravit.

Grave sce-
lus est pie-
tati filiorum
obscure.

Tenera ata-
tis innocen-
tia defen-
datur.

Puero debe-
tur reueren-
tia.

Parentibus
filiorum vi-
tia impu-
tantur,
principi et-
iam paren-
tum.

Studia &
mores puel-
larum.

Multorum
prauitas in-

piens & virginis propositum, & matris desiderium: & ecce ti-
bi eadem nocte, cernit in somnis venisse ad se angelum, terribi-
li voce munitem penam, & hac verba frangentem. Tunc au-
sa es viri imperium præferre Christo? tu caput virginis Dei,
tuis sacrilegis atrectare manibus? quæ iam nunc arescent, vt
sentias excruciatam quid feceris; & finito mense quinto, ad in-
ferna duceris, sin autem perseveraueris in scelere; & marito
simul orbaberis & filiis: Omnia per ordinem expleta sunt, & se-
ram misera penitentiam velox signauit interitus. Sic vltimi-
tur Christus violatores templi, sic gemmas, & pretiosa orna-
menta defendit.

§. 4. Omnia fada imaginum, & verborum absint.
Abiit, & quiquis nocere potest. Athenientiu pæda-
gogiorum lex erat, Doctores Scholam ne aperiant,
priusquam sol effulserit: neque illam claudant, antequam oc-
cidat: hisque qui puerilem aetatem superauerint: dum pueri in
ludo sunt, ne liceat ingredi nisi præceptoris, aut eius fratris fi-
lius, filiaue eius vir sit. Quod si quis præter illam prohibitio-
nem ingressus fuerit morte puniatur. Gymnasiarcha quoque
ex his quemquam qui maiores natu sunt, aliquo pacto pueris
commixtum in sedendo, ne permittant: quod si admisserint, &
à Gymnasio non repulerint: de ingenuorum corruptela Gym-
nasiarcha reus esto.

Et Iuuenalis rectæ quidem consilii alienæ casti-
tati, sed tamen etiam libros eius eadem lege ab hone-
sto limine abesse oportuit. Satyr. 14.

Nil dictu fadum, visuque hæc limina tangat.
Intra quæ puer est: procul inde puella,
Lenonum, & cantus pernoctantis parafiti.

Maxima debetur puero reuerentia:

Quod parentibus scribit Hieronymus, id quia pluri-
mus parentibus cordi non est, scribo Republicæ. Ep.
7. Heli sacerdos, offendit Deum, ob vitia liberorum. Episcopus
fieri non potest, qui filios habuerit luxuriosos, non subditos. At
econtrario de muliere scribitur, quod salua fiet per filiorum ge-
nerationem, si permanserit in fide, & caritate, & sanctifica-
tione, cum pudicitia. Si perfecta atas, & sui iuris, imputatur
parentibus: quanto magis lactans, & fragilis, quæ iuxta senten-
tiam Domini, ignorat dextram, & sinistram, id est, boni, &
mali differentiam: si sollicita prouides, ne filia percutiatur à vi-
pera: cur non eadem cura prouideas, ne feriat a malo vni-
uersæ terræ? ne bibat de aureo calice Babylonis? ne egrediatur
cum Dina, & velit videre filias regionis alienæ? ne ludat pedi-
bus, ne trahat punicas? Venena non dantur nisi melle circum-
lita: & vitia non decipiunt, nisi sub specie vmbraque virtutum.
Et quo modo, inquires, peccata patrum filiis non redduntur, nec
filiorum parentibus, sed anima, quæ peccauerit, ipsa morietur?
hoc de his dicitur qui possunt sapere, de quib. in Euangelio scri-
ptum est: Aetatem habet, loquatur pro se, qui autem paruulus
est, & sapit vt paruulus, donec ad annos sapientia veniat, &
Pythagora littera T. cum perducatur ad biuium, tam bona eius,
quam mala parentibus imputantur.

§. 5. Non lubet recedere, ab optimo doctore pie-
tatis: ille Ep. 12. Sexus femineus suo iungatur sexui: nesciat,
imo timeat cum pueris ludere. Nullum impudicum verbum
nouerit: & si forte, in tumultu familia discurrentis, aliquid
audiat, non intelligat. Matris nutum pro verbis, ac monitis, &
pro imperio habeat. Amet vt parentem, subiciatur vt domi-
ne, timeat vt magistram. Cum autem virginitatem rudem, &
edentulâ septimus ætatis annus exceperit, & cepit erubescere,
scire quid taceat, dubitare quid dicat, discat memoriter psal-
terium, & vsque ad annos pubertatis libros Salomonis, Euan-
gelia, Apostolos, & Prophetas sui cordis thesaurum faciat: nec
liberius procedat ad publicum, nec semper Ecclesiarum quarat
celebritatem: in cubiculo suo totas delicias habeat: numquam iu-
uenculos, nunquam cinnamatos videat: vocis dulcedines, per
aurem, animam vulnerantes, puellarumque lasciuia
repellantur: quæ quanto licentius adveniunt, tanto difficilius eui-
tantur. & quod didicerunt, secreto docent, inclusam, Danaen
vulgi sermonibus, violant.

Mira est ingenii humani pueritas, non semper
obedit monenti, quorundam a peritis contra blan-

ditias, rationes, minas ex æquo contumax est. Factum
Alexandri, ebrietatem Achillis nulla cura instructo-
rum, & magistrorum, corrigere potuit; Neronem fru-
stra erudiuit Seneca; nam calumniose accusatum, in-
nocentia eius, offensus, mori coegit. Heliogabalus,
omnium magistrorum curas, improbitate elusit.
Quantum egit Dauid, ne Absolon improbus euade-
ret: Quot optimi parentes, filius contumacibus vtū-
tur: Fateor ita esse, & vitiosam, efferamque naturam
magno labore coerceri, & cum in suam potestatem,
ingeniumque immigrauit, ferociorem fieri; sed non
tamen idcirco bonæ, & mediocri indoli institutio
subtrahenda est. Imo nec pessimæ, & deprauatissimæ.
Dum enim spiritus est, spes est frugis melioris. Et si
non tota, pars tamen impietatis euitatur.

§. 5. Quid igitur remedium est, duris, maleficis, con-
tumacibus ingeniis? Crudam adhibere medicinam
Indorum Brachmanes; nam post duos menses inspe-
ctum fatum, si indoles improbaretur, vel in sylvas
exponebant, vel coram occidebant. Lacedæmonio-
rum quoque eadem feritas in exponendis fuit, ad vo-
raginem enim Taygeti amandabant. Barbarum pla-
ne, & crudele. Imo stolidum, non enim ex paruulo-
rum propensionibus, futura vitæ ratio colligi potest,
affectionum indagatrix est physiognomia; sed non
nisi peritissimorum iudicio instituenda, quorum ta-
men illa sit summæ pars prudentiæ, vt ne ex illis vesti-
giis, & naturæ ductibus, de voluntate iudicium ferat.
Naturales hominum appetitiones, quæ ad vitia de-
torquet animos, in aliis sunt vehemens, in aliis lenio-
res, in omnibus aliqua. Institutio tamen, consuetu-
doque; facit, vt grauib. affectionibus, tentationibus-
que obsistatur, studium, pudor, & ante omnia diuina
gratia, naturam corruptam emendat.

Et sane multi institutione, non ad ciuiles, & tole-
rabiles modo, sed ignes etiam, sanctosque mores
inducuntur. Pericles, familiaritate Clazomenii, pro-
fecit. Alcibiades Socratis institutione, ingentia vitia,
ne plus patriæ obesset, etiam non deposuit, paulum ta-
men inhiuit. Philostratus vna Polemonis oratione,
ad frugem adductus est. Quanta vitia erant, cum E-
uangelium inferrent Apostoli: lege Rom. 1. 28. Et sicut
non probauerunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus
in reprobum sensum: vt faciant ea quæ non conueniunt: repletos
omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, ple-
nos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susur-
rones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos,
inuentores malorum, parentibus non obediens, insipientes, in-
compositos, sine affectione, absque fide, sine misericordia.

Et 1. Cor. 6. 9. an nescitis quia iniqui regnum Dei non
possidebunt? nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis serui-
entes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concu-
bitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici,
neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis:
sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomi-
ne Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.

Instet igitur Respublica, nec desperet operis suc-
cessum, cui Deus vel maxime fauet. Et sapienter à
Fab. 1. cap. 16. dictum est: Turpiter desperatur, quicquid fie-
ri potest. Non audio illas voces; Irritus est labor; ob-
luctante natura. Tam mira, difficiliaque artium com-
prehendit, & peragit mens humana, tot linguas ad-
discit, scientia vniuersum orbem perambulat. Quo-
modo igitur bonos mores addicere non posset, ad
quos naturæ habet inclinationem? Virtus proprium
mentis nostræ bonum est, & sui boni natura capax
est.

Summa igitur opus vi: princeps, mores puero-
rum formandos curet, facile bona discunt, difficili-
us mala dediscunt. Difficile est tamen, fateor, mores
rectos conseruare. Facilius est vincere, quam tueri
provincias deuictas. Vno impetu victoria venit, multi-

situationem
reddit inu-
tilem.

Indolis im-
probata pue-
ros occidere
barbarum
est.

Ex physio-
gnomia in-
certum in-
dicium.

Institutio
bona vitia
mitigat,
gratia tollit

Boni mores
difficiliter
dici seruian-
tur incolu-
mes.

multipli arte seruanda est. Sed in moribus difficilis est receptus; malum nascens inhibendum est, alioqui in immensam crescit magnitudinem. Τὸ πολὺ ἐξ ὧν ἵδῃ & ἀμύχανος ἐστὶ δεσπομένη. Consuetudo multi temporis difficilime tollitur. Facilius dissoluitur, quam reficitur, quod inueteratum est.

Malorum
initia sunt
exstinguen-
da.

Nascentem exstinguere flammam,
Ne sera redeant post aucta pericula cura.

Iumentorum contumaciam, sternacitatem, ni-
stationem, succussionem emendant in pullis equi-
fones, & tu vitia adolescentiæ negliges? Præsertim
cum vnum, vnius vitium, Rempublicam magno de-
trimento possit afficere? In corporibus agris, nihil
nociturum medici relinquunt. Tibi mentium agri-
tudines curandæ sunt.

CAPVT VI.

*Iuuentuti præficiendos esse probos, & doctos
Magistros.*

Post men-
ses 21. verba
formare so-
lent.

Ratio expe-
dita, qua
paruuli
magnatum
varias lin-
guas addi-
scant.

Germani
principes
anno septi-
mo magi-
stro filios
tradunt.

§. I. SEPTIMO anno ad magistrum puer deduce-
stur; seria enim iam, sed pro ætate tamen aget;
Matris, & nutricum verba per menses viginti, & vnum
audiuit, & imaginatus est, deinde sonus eius, in ver-
ba prorupit. Interea vique ad annum septimum ex v-
su fuerit, non vernaculam modo linguam illum au-
dire, sed latinam quoque, quam forte magna parte,
assuetudine condiscet. Miror vero cur magnates, &
principes, si intra septennium onerare liberorum in-
genia discendi cura nolunt, non attribuant aliquos
ministros qui semper latine loquantur, seseque inter-
rogent, & eadem nunc Germanice, nunc Latine, ef-
ferant, aliquando paruulum consulant, eaque, quæ
ipsum nosse constat, ex eo querant, vt laude ad con-
discenda excitent. Olim sane latinam linguam sine
Grammatica didicere.

Verum nunc de præceptoribus & magistris agen-
dum, ad quos anno septimo Aristoteles, Plutarchus
atque alii ducendos iudicant: Etiam Bulla aurea Caro-
li quarti. Tit. 26. Cum sacri Romani Celsitudo Imperii,
diuersarum Nationum, moribus, vita, & idiomate distin-
ctarum, leges habeat, & gubernacula moderari, dignum est, &
cum totorum sapientum iudicio censetur expediens, quod Electo-
res Principes, ipsius Imperii columna, & latera, diuersorum
idiomatum, & linguarum differentiis instruantur, vt plures
intelligant, & intelligantur a pluribus, qui plurimorum ne-
cessitatibus releuandis, Casarea sublimitati assistant, in par-
tem sollicitudinis constituti. Quapropter statumus, vt illu-
strium Principum, puta, Regis Bohemie, Comitum Palatini, Du-
cis Saxonie, & Marchionis Brandenburgensis, Electorum si-
lii, vel heredes, & successores, cum verisimiliter Teutonice
idioma, sibi naturaliter inditum, scire præsumantur, & ab in-
fantia didicisse, incipiendo a septimo ætatis sue anno, in Ger-
manica, Italica, & Sclavica linguis instruantur, ita quod in-
fra 14. ætatis annum, existant in talibus, iuxta datam sibi à
Deo gratiam, eruditi, cum illud non solum vtile, imo ex causis
præmissis summe necessarium habeatur, eo quod illa lingua vt
plurimum ad vsum, & vtilitatem sacri Imperii, frequentari
sint solita, & in his ardua ipsius imperii negotia ventilen-
tur.

Hunc autem proficiendi modum in præmissis posuimus ob-
seruandum, vt relinquatur optio parentum in filios, si quos
habuerint, seu proximos, quos in principibus sibi credunt ve-
risimiliter successuros, eosque ad loca dirigant, in quibus de hu-
iusmodi posint linguis edoceri, vel in propriis domibus pedago-
gos instructores, & pueros confocios, in his peritos, eis adiu-
gant, quorum conuersatione pariter, & doctrina, in linguis
ipsis valeant erudiri.

§. 2. Prima igitur cura Reipublicæ sit, vt idonei
Magistri, ac præceptores, non modo ad principum,
magnatumque filios erudiendos, sed priuatorum
quoque sobolem instruendam deliganur. Nec mo-
do de studiis literarum sermonem facio, sed de omni
artium genere. Quamuis enim non par vbique, est
tamen magnum, si quis hic erret, periculum. Ego fe-
licissimam Rempublicam arbitror, cui boni præce-
ptores contingere. Multo enim præstantius est, bene
institui, quam feliciter nasci. In magistrorum enim
mores, fere migrant adolescentum ingenia. Magni
refert cuius se fidei, peritiæ, & diligentiae committat,
qui per vastos oceani anfractus, Indias petit. Neque
satis est naucem esse validam, commeatuque & arma-
mentis instructam, sed nauarchum esse oportet et-
iam gnarum regionis, & periculorum: multo maior
cura domi est omnibus necessaria, ne ad metas im-
pingat improvida flexus ætatis.

Boni insti-
tutores in-
uentus fe-
licitas Rei-
publicæ.

Magistros itaque generatim accipio, siue à mo-
nendo, siue à mōstrando dicti sint; siue potius, quod
quibus præfunt, curam debeant. Iurisconsulti om-
nium disciplinarum præceptores appellant magi-
stros. Leg. quibus præcipua, 57. de verb. signif. Itaque
sunt magistri societatum, collegiorum, vicorum, au-
gurum, officiorum, sacrorum scripturiorum, populi, e-
quitum, morum. Nos de artium magistris loquimur,
& morum; eruditionis enim, & virtutum esse docto-
res debent. Censorum magna fuit dignitas, & sine ap-
pellatione iurisdictionis. Censere facultates, notare ci-
uem ignominia, mouere senatu, adimere equum, di-
sciplina præfere. Hoc postremum in magistros præ-
cipue artium liberalium conuenit, nisi quod soli iu-
uentuti præfint: interim Quirites adornant, vt cen-
suram ferre queant.

Magister est
cuius ma-
gis cura est,
quam ceteris.

§. 3. Magistratus igitur in primis de idoneis sci-
entiarum, & artium liberalium professoribus prospici-
et. Hoc namque esse munus ipsius magistratus ra-
tio docet. Cum enim Reipublicæ seminarium sit iu-
uentus, cum ex illis paucos post annos ciues, senato-
res, principesque futuri sint, adhibenda cura est, ne il-
lis corruptis, tota Respublica detrimentum patiatur.
Deinde exempla hoc ipsum docent. Doctores legis à
Mose, ab Arone, à Iosaphat, aliis constituti sunt. Ma-
ior semper cura fuit, in Christi Ecclesia constituen-
dorum magistrorum. Principes enim, & summus Pon-
tifex, velut totius religionis caput, Scholas institu-
runt. Carolus magnus sane lib. 2. capitulat. cap. 5. Scholas, sane,
inquit, ad filios & ministros instruendos, vel edocendos, sicut
nobis præterito tempore ad atrinacium promissus, & vobis in-
iunximus, in congruis locis, vbi necdum perfectum est, ad mul-
torum vtilitatem, & profectum, à vobis ordinari non negli-
gantur.

Iuuentute
corrupta
Respublica
meret.

Pontifex,
& Episcopi
Scholarum
sunt funda-
tores, &
censores.

Ne vero principibus, vel populo, quorundam cal-
liditas imponeret, Concilium Tridentinum Sess. 5.
cap. 1. de reform. Episcopos voluit esse censores, &
approbatores doctorum. In Gymnasii etiam publicis,
inquit, vbi tam honorifica, & ceterorum omnium (quam
Theologia) maxime necessaria lectio, hætenus instituta non
fuerit: religiosissimorum principum, ac rerum publicarum pie-
tate, & charitate, ad Catholicæ fidei defensionem, & incre-
mentum, sanaque doctrina conseruationem, & propagatio-
nem instituantur, & vbi instituta foret, & negligenter, resti-
tuatur.

Et ne sub specie pietatis, impietas disseminetur, statuit ea-
dem sancta Synodus, neminem ad huiusmodi lectionis offi-
cium, tam publice, quam priuatim, admittendum esse, quin
prius ab Episcopo loci, de vita, & moribus, & scientia exami-
natus, & probatus non fuerit: quod tamen de lectoribus in
claustris, non intelligatur. Concessa hac approbandi, & exa-
minandi facultas, Episcopis, magistris præponendis, seminaris
diaceleos institutis, & instruendis.

Tanti